



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

30. Secunda Epistola Ejusdem Apamiensis ad S. D. N. Innocentium Papam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

secro Beatissime Pater, ut cum Vestra Sanctitas benignè
audiat, saluum tutumque curet, & me pariter consilio, au-
xilio, precibusque juvare dignetur. Interim Deum optim.
Max. assiduis obsecrationibus enixè rogabo, ut Sanctitatem
Vestram Ecclesiae suae diu servet incolumem.

Apamijs die 4. Maij 1678.

BEATISSIME PATER,
Sanctitatis Vestrae

*Humilissimus & Obsequentissimus
Filius & Famulus
Franciscus Episcopus Apamiensis*

Documentum XXX.

Secunda epistola ejusdem Reverendissimi Epi-
scopi ad INNOCENTIUM XI. Pontif. Max.

Beatissimo in Christo Patri & Domino Domino
INNOCENTIO Pontifici Maximo.

BEATISSIME PATER,

IN paternum sanctitatis vestrae sinum cor meum effu-
sus circa libertatem Ecclesiae, quam vobis vehementissi-
mè cordi esse scio, Regaliae scilicet negotium Apostolico
zelo commendaturus, ad humillima beatorum pedum
oscula, maxima cum fiducia, iterum accedo. Res est ma-
joris momenti, quam ut verbis meis queat declarari. Agi-
tur enim B. P. de concedenda Regi Christianissimo facul-
tate, quae nondum in majori Regni sui parte usus fuerat,
vacantium scilicet Ecclesiarum Cathedralium redditus per-
cipiendi, omniaque Beneficia, quae interim vacare conti-
gerit

gerit (saltem si eorum collatio ad Episcopum pertinebat) pleno jure conferendi, donec novus Episcopus fidelitatis juramentum præstiterit, præstiti juramenti publicum instrumentum in regesta Curiae computorum fuerit relatatum, decretum, seu ut nostri vocant, Arrestum, quo restituenda mandentur bona Episcopalia, solutâ prius certâ pecuniæ quantitate, fuerit obtentum, & Episcopus personalem, non autem per procuratorem tantum, possessionem fuerit adeptus.

Maximum B. P. Ecclesiæ vulnus inferitur, cum laici Ecclesiæ redditus temporales dispensant, quod modis omnibus impedire semper conata est universa Ecclesia. Hac de causa summi Pontifices gravissimos labores, imò & pericula sæpissimè susceperunt; verum multo gravius læduntur Ecclesiæ jura, dum Beneficia Ecclesiastica sine Canonica institutione inconsulto summo Pontifice, spreto Episcopis, demum absque auctoritate Ecclesiastica pleno jure conferuntur. In hunc abusum acrius insurrexerunt, & fortius pugnaverunt tum summi Pontifices, tum Concilia, tum seorsim Episcopi non pauci. Testis est celebris illa de Investituris controversia, circa quam per annos circiter quinquaginta decertatum est, quamvis jus Regaliæ plura & majora mala, & incommoda afferre certum sit, & evidens. Nam investiturarum solemnitatibus potestatem spirituales nullatenus conferre præsumebant Principes, ut asserit Yvo Carnotensis: cui tamen ceremoniæ viriliter restiterunt summi Pontifices, vel eo solo nomine, quod traditio baculi pastoralis & annuli, auctoritatis imaginem præ se ferret. Jure autem Regaliæ non imaginem, sed titulum Beneficiorum pleno jure tradit Rex Christianissimus, adeo ut in ipsis Ecclesijs Cathedralibus Archidiaconatus,

P p 3 natus,

allia
ndicata
C. III
230

natus, Archipresbyteratus, & Præbendas Theologales, aliásque dignitates aut personatus conferat Clericis ut plurimum ambitiosis & aliás indignis, quorum tamen fidem, mores, ætatem, aliásque tum animi, tum corporis doctores nec Capitulo, nec novo Episcopo, cujus futuri sunt Senatores & quasi membra, explorare minimè licet.

Exceptæ quidem B. P. huc usque fuerant ab hoc jure seu veriùs ab hac servitute Ecclesiæ Parochiales propter curam animarum, & jurisdictionem spiritualem in foro conscientiæ. Sed minantur Regis Officiales scriptis etiam typis excusis. Regem horum etiam Beneficiorum saltem præsentationem sibi posse vendicare. Idque jam contigit, collato scilicet jure Regaliæ Beneficio Sacristia occupato, cui erat annexa totius parochiæ animarum cura in Ecclesia collegiata Sancti Felicis Diocesis Tholosanæ, ita ut qui hujusmodi collationem obtinuerat à Rege absque ullâ institutione Canonica, possessionem sit ingressus. Cui quidem malo ut aliquod licet fortè perniciosum, tamen necessarium adhiberetur remedium, Clericus qui Canonico titulo curam hujusmodi obtinuerat, coactus est eam dimittere in manibus Collatoris, Clerico, qui jam à Rege impetraverat, concedendam.

Olim etiam, Beatissime Pater, (ut ex antiquis Curie Parisiensis placitis, seu arrestis constat) Theologi Beneficium Regaliæ non erat obnoxium, ob annexum scilicet concionandi munus, quod missionem Ecclesiasticam requirit, juxta illud oraculum D. Pauli: *Quomodo prædicationibus, nisi mittantur:* & concilij Tridentini declarationem. Sed novis quotidie accessionibus autoritas illa Regia excrefcens, in nova semper sese extendit. Sic enim nuper vidimus jure Regaliæ constitutum Theologum in capitulo sancti Pauli Diocesis Alectensis. Qua

Qua in Beneficiorum provisione, Beatissime Pater, Rex majorem sibi potestatem arrogat, quàm exerceant summi Pontifices. Non modò enim cum resignationes *in favorem* admittere possent aulici Doctores, seu verius assentatores, quod hæreditariam successionem sapit, à qua Ecclesia maximè abhorret, quòdque soli summo Pontifici propter potestatis plenitudinem competit; non solùm etiam pensiones constituit Rex Christianissimus contra jus Canonicum, quod Beneficia sine diminutione conferri præcipit, verùm etiam Beneficia permutata compermutantibus conferre non teneri se arbitratur. Juri quæsito derogat: nam quomodocumque vacet Beneficium, sive de jure, sive de facto; imò licet quis obtento Canonico titulo possessionem per procuratorem sit ingressus, nisi personalis & corporalis fuerit possessio, vacuum reputatur Beneficium, ut ab alio Regià provisione munito possit occupari. Nulla regulæ detriennali possessore habetur ratio. Nam etiam post vînginti novem annos, à possessione sub Canonico titulo nendum colorato obtenta, potest Clericus jure Regaliæ deturbari. Si quis in aliquod crimen, propter quod beneficio privandus sit, inciderit, vel censuram aut irregularitatem contraxerit, beneficio spoliari potest à Regalista, etiam ante sententiam declaratoriam; quâ viâ causæ criminales Clericorum ad tribunal sæculare trahuntur, cui soli omnium causarum beneficalium interveniente Regaliæ jure non tantùm in possessorio, sed etiam in petitorio cognitio est attributa; isque servatur ordo, ut possessio semper Regaliæ adjudicetur lite pendente. Unde si Rex alicujus quantumvis innoxij, censuris soluti, canonico titulo muniti, ac etiam omnino capacis & digni, officium alteri, licet non Clerico, Criminoso, infra debitam ætatem, demum omnino

allia
ndicata
C. III
230

nino inhabili (si quidem Rex nullius qualitatibus mentionem facere tenetur) conferat, iste tamen ex lege Regaliæ pendente lite, cujus sententia definitiva varijs artibus Regaliæ per longos annos protrahi poterit, possidebit. Nec enim potest Episcopus, aut Capitulum recusare Regaliæ, etiam si iniustitia & defectus tituli appareat.

Præterea Beatissime Pater, nec Summus Pontifex, nec Episcopus, aut alius quisquam collator durante Regaliæ, potest resignationes, permutationes, aut alias juris cessiones admittere, nec per obitum, aut alio quovis modo providere, neque jure prælationis, neque concursus, neque præventionis. Accedit quod Rex Christianissimus jure Regaliæ pensiones autoritate Apostolicâ jam constitutas, beneficij collatione extinguit. Demum juxta Regaliæ Doctores, Apostolicæ constitutiones, Ecclesiarumque statuta non refragantur, quominus Rex jure Regaliæ pro libitu voluntatis utatur. Innumera tandem sunt incommoda, seu potius monstra, quæ sequuntur ex Regaliæ jure, saltem si Doctorum nostrorum sententiam sicut jam in multis, ita in omnibus Rex Christianissimus sequatur: quod sine universi ordinis Ecclesiastici everfione, nec non animarum periculo fieri nequit.

Quod ad Ecclesiam Apamiensem attinet, quam ut vacantem Rex habet, licet à me indignissimo triginta quatuor ab hinc annis occupatam; conferuntur Dignitates & Canonicatus Sæcularibus & Regularibus diversorum Ordinum & Congregationum, ab antiqua Regula longissime deviantibus, imò & eam ignorantibus: & à possessione deturbantur, qui bonâ fide vœta consuetæ, atque præterea stabilitatis emiserant; non modò illi, quorum Beneficia & Dignitates ex declaratione Regiæ Regaliæ obnoxia supponeban-

ponebantur, verum etiam quæ ab hac servitute juxta Declarationis tenorem erant omnino libera; eo, sicut affirmant, consilio, ut sæcularisationem Capituli à primæva fundatione Regularis, quam meditantur, facilius impetrent; quam tamen non timeo, cum Sua Sanctitas reformationem potius, quàm relaxationem omnium Ordinum, juxta Sanctorum mentem, ac Conciliorum, & novissimè Tridentini decreta moliat, & indefessâ sollicitudine prosequatur. Facilius beneficijs privantur, quotquot Ecelesiasticæ Libertatis & Disciplinæ sunt studiosi, etiamsi ab ipsis Declarationibus Regis validissimam habeant defensionem; quia nisi primùm Regaliam juridicè agnoscant, penitus non audiuntur: ac præterea redditibus suis privantur, occasione reddituum Archidiaconatûs à Rege collati, quos Regium placitum sive Arrestum Presbytero sæculari adjudicavit, pro eo etiam tempore, quo nondum possessionem, imò nec titulum à Rege consecutus fuerat; etiamsi redditus hujusmodi fuissent in pia opera conversi, aut fortè aliquid licet modicum juxta Capitulorum omnium, præcipuè Apamiensis, consuetudinem, à tempore cujus non extat memoria in contrarium, præsentibus & actualiter intervenientibus distributum.

Verum, Beatissime Pater, hæc mala in immensum excrescent, si Rex nominationem novorum Episcoporum, quæ ad ipsum ex Concordatis inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Francorum Regem initis pertinet, differre voluerit etiam ultra tempus sibi ad hoc præstitutum, quod versutis Aulicis non esset difficile; sicuti suis temporibus factum fuisse testantur & conqueruntur D. Thomas Cantuariensis, ut in ejus vita refertur, & Sanctus Bernardus in suis Epistolis. Interim enim Rex omnia beneficia conferet,

& redditibus temporalibus, si libuerit, potietur. Quamvis enim ab aliquo tempore redditus illos novis relinquat Episcopis, testatur tamen ipsa donationis forma, gratuitam liberalitatem, non verò justiciam se exercere, vel sacris Canonibus morem gerere. Præterquam quòd illa pecuniæ summa, quæ à novo Episcopo Regionum Camera Computorum persolvenda est, ut liberè temporalium bonorum possessionem capiat, ad libitum augeri poterit, quod sanè maximam habet simoniæ speciem.

Numquam, Beatissime Pater, Ecclesia juris aliquid in res Ecclesiasticas Principibus Sæcularibus concessit, quin ipsi arreptâ inde occasione multò majora usurpaverint; quod ne adductis aliunde probetur exemplis, Ecclesia Gallicana sæpius experta est. Concilium Aurelianense V. *can. 10.* Regis assensum ad electorum Episcoporum consecrationem requirendum duxit, quod aliquam boni speciem præferbat, ut scilicet consentiente utraq̃ potestate Regnum majori cum tranquillitate gubernaretur, & Principes faciliùs brachium, cùm opus esset, commodarent Episcopis, quorum electionem gratam habuissent, illorùmque consilia, sicut suaserat B. Rhemigijs, libentiùs audirent. Verùm hinc Reges ad eligendos è Curia Clericos, qui ad Episcopatum promoverentur, sibi viam paraverunt, illudque jus Clotarius II. *anno 615.* ad se pertinere publico declaravit edicto, vel certè supposuit. Caroli Maghi non solum de Gallicana, sed etiam de Romana & universali Ecclesia bonæ meriti patrocinio & defensionis sese commiserunt Episcopi, ejusque auxilio non parùm sunt adjunctæ quam plures Dioceses, imò & opibus auctæ. Qua in re filius ejus Ludovicus cognomine Pius patrem est imitatus; sed nepos Carolus scilicet Calvus, quas defendere tuerique tenebatur, spoliare in-

cepit, vixque potuit ad meliorem frugem revocari. Philippus item hoc nomine primus in tertia dynastia Ecclesias sub prætextu investiturarum vendebat, aliasq; devastabat, licet Sancto Gregorio VII. summo Pontifici (ut ipsius litteræ fidem faciunt) acriter hujusmodi sacrilegia reprehendenti debitam polliceretur emendationem. Multum prætereà obstiterit Episcoporum sine ipsius assensu, licet alias canonicè electorum consecrationi, ut de Gallone refert Jvo Carnotensis.

Ludovicus VII. cognomine Junior, non solum Petrum à Papa Innocentio II in Archiepiscopum Bituricensem consecratum recipere recusavit, sed ipsam Ecclesiam Bituricensem, & Catalaunensem, & Rhemensem, & Parisiensem plurimum afflixit, ut conqueritur Sanctus Bernardus in suis Epistolis.

Si Reges, Beatissime Pater, ad apertè illicita sese extendunt, obstantibus Summis Pontificibus: quid ipsis dissimulantibus? præsertim si introductam semel possint opponere consuetudinem. Certè cum Concilium Lugdunenle Decreto, de non usurpanda Regalia, postulantibus Francorum Regis oratoribus clausulam ad futura tempora restrictivam adjecisset, Bonifacius VIII. nullâ diligentia, nullo labore obtinere potuit, ut Philippus IV. à convertendis in proprios usus Ecclesiarum vacantium redditibus, & conferendis pleno jure Beneficijs in aliquibus Ecclesijs, in quibus superiores Reges eâ consueverant uti autoritate, abstineret.

Et sanè, Beatissime Pater, Reges nostri primò redditus futuro conservabant Episcopo, deinde feudorum Regalium proventus in sua commoda impendebant. Postmodum idem de decimis, quæ jure Divino ad Ecclesiam pertinent, jus sibi statuerunt. Demum beneficia ipsa pleno jure distribuerunt: & hæc quidem principio in quibusdam tantum

Q q 2

tùm

allia
indicata
Ca. III
230

cum Ecclesijs, modò, si Ecclesia fileat, in omnibus. Olim simplices Præbendæ conferebantur, modò etiam Dignitates, quibus annexa est jurisdictio spiritualis, aut onus concionandi, imò licet adjuncta sit animarum cura. Tandem etiam ipsæ parochiales Ecclesiæ (si prælati dissimulent) in hanc servitutem rediguntur, non sine evidenti animarum jactura.

Scio equidem, Beatissime Pater, periculosum esse Regibus præsertim potentibus contradicere, idque jam aliquatenus expertus sum. Verùm non facio animam meam pretiosorem, quàm me. Utinam ob peccata mea indignus non essem, qui non solum cum Beato Anselmo bonis spoliarer (quod misericordiâ Divinâ mihi jam contigit) sed & cum B. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo etiam mortem pro juribus Ecclesiæ subirem.

Cæterùm, Beatissime Pater, verendum non est, ne quid hâc occasione, fidei, Religioni, aut Ecclesiasticæ unitati accidat in regno, cui præest Princeps, Christianissimi Regis, Ecclesiæ Primogeniti & Protectoris nomina ab Atavis, pluribus abhinc sæculis accepta maximo tribuens honori; Princeps Religionis & justitiæ amans, sed ab aulicis assentatoribus præventus; in regno, inquam, cujus florentissimus est Clerus, licet fortè in hoc negotio Regiæ voluntati nimis obsequens: in quo demum populus est non solum sincerâ fide, sed etiam magna ex parte Christianis moribus conspicuus agnoscitur.

Mihi certè sufficit causæ justitiæ diu discussa, & evidenter patefacta; quòdque plurimas vires addit, Sanctæ Sedis (cui semper & vivens & moriens adherere cupio) judicio comprobata, ut ex litteris Apostolicis ad Regem Christianissimum didici, quarum exemplar Gallico ser-

mone conscriptum Parisijs huc usque transmissum est; sufficit inquam, Beatissime Pater, ut omnia impendam, & ipse superimpendar, si Deus Optimus Maximus, sicut desiderium suggerit, ita vires subministret. idque Vestra Sanctitas suis precibus impetret.

Dabit, Beatissime Pater, veniam Sanctitas Vestra, si res tanti momenti, cuique aliunde remedium, quam à Sanctissima Sede non possit adhiberi, breviori Epistolâ non potuit exponi. Scio Sanctitatem Vestram plurimis iisque gravissimis negotijs distineri; sed cum Rex Christianissimus invictissimas rationes & humillimas preces (ue causâ meritum postulabat) non audierit, ad solitum afflictorum Episcoporum præsidium recurrendum fuit; nec vanam fore spem, licet secus vociferentur adversarij, ut & meum & aliorum Episcoporum frangant animum, confidit.

Datum in Ædibus B. Mariæ de Sabart. Die 8. mensis Novemb. anno verò 1678.

BEATISSIME PATER,
Sanctitatis Vestræ

*Humillimus & obedientissimus in Christo
Filius & famulus*

Franciscus Episcopus Apamiensis.

Documentum XXXI.

Primum Breve Sanctissimi D. N. INNOCENTII
Papæ XI. ad Illustrissimum & Reverendissimum
Episcopum Apamiensem.

Venerabili Francisco Episcopo Apamiensi
INNOCENTIUS Papa XI.

Venerabilis Frater, salutem & Apostolicam benedictionem. Molestiarum & incommodorum, quæ pro
tuendis